5

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE NOSOLOGIA METHODICA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GUALTERUS RIDDELL,

BERMUDENSIS.

Non est cur desperent medici, fore aliquando, ut ingens morborum humanorum numerus, exemplo ab historiae naturalis scriptoribus petito, in ordinem systematicum redigatur, qui, ab omni hypothesi sectarumque commentis liber, sola nixus fideli observatione, classes, genera, species exhibeat, suis singula characterismis certis, manifestis, plenis, interstincta. GAUB.

Ad diem 12. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXIV.

Viro ſpectatiſſimo,

JOANNI FORREST,

ARMIGERO;

Propter ſummas ejus virtutes,

Ac in ſe amicitiam inſolitam,

Sibi chariſſimo et nunquam ſatis colendo:

Nec non,

Viro perilluſtri,

GULIELMO CULLEN, M. D.

In alma hac Academia

Medicinae Uſus Profeſſori clariſſimo,

Medicorum nulli ſecundo,

Noſologorum facile Principi;

Cum ob magnam ejus doctrinam,

Tum urbanitatem inſignem:

Hoc Tentamen Noſologicum ſacrum vult

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

NOSOLOGIA METHODICA.

EXORDIUM.

AD artem medendi faufte exercendam, cum morbos accurate diftinguendi facultas, tum inftrumentorum quae eos difcutere valent, et rationis qua haec adhibenda funt notitia poftulantur. Quae omnia, ut alicujus defectus ad medicinam excolendam ineptos nos reddit, paris effe momenti videri poffunt. Sed ut, in omni cafu, morbus prius dignofcendus eft, et, fi hic erremus, femper dein errandum eft, hoc majoris effe momenti videtur. Si vero conftat felicem medicinae ufum adeo ex morborum accurata diftinctione pendere, nonne mirum eft Nofologiam Methodicam, qua praecipue hanc diftinguendi facultatem confequimur, tam fero coli, et conatus qui ad eam colendam nuper facti funt, fine laude a multis acceptos effe?

Vulgus medicorum, vel iftos quos *medicorum imitatores* Sauvagefius celeberrimus nominat, quod non

non intelligunt, neque difcere poffunt, contemnere prae fe ferre, non mirandum eft; nimis enim indocti funt id animo complecti, vel adeo fibi placent, ut quod docti fuerunt dedifcere, vel quod non intelligunt difcere nolint. Sed haud ita facile forfan rationem reddere poffumus quare nonnulli viri egregii, fi non palam improbarunt, opera nofologica faltem non laudaverint. Nullo alio modo hoc mihi explicandum effe videtur, nifi quod rem non fatis attente perpendunt, ideoque ejus difficultates tantum, fine magnis inde oriundis commodis, pervident. Huic forfan addenda eft ifta invidia quacum medici, velut omnes alii homines, quodvis artis fuae additamentum, a focio parique propofitum, accipiunt; praefertim fi hoc modo iis ille praeponendus fit.

Nonnulli putant nofologiam methodicam non impetrandam effe, quia corporis habitus fumma diverfitas, aliaque fingulis propria, morborum fpecies dignofcere et limitare impoffibile reddunt. Sed multum dubito, fi ulla habitus diverfitas, vel quaevis externa, morbi fpeciem diverfam creare valeant. E contrario, mihi perfuafum eft, ut corporis humani compages, in ftatu naturali, eadem nunc eft ac ab origine erat; ideo-

que

que iisdem a sanitate aberrationibus obnoxia, ita morborum aeque ac omnium aliarum rerum naturalium species ab initio fuisse, et in aeternum easdem fore; dum illa phaenomena, quae morbos aliquando comitantur, et ab aetate, sexu, corporis habitu, regione, aliisque externis oriuntur, morborum varietates tantum constituunt, quae a nosologis non notandae sunt. Illi enim nihil amplius volunt, quam morborum *species* dignoscere, ut botanicorum et historiae naturalis scriptorum mos est, qui cito videbant se non posse varietates rerum, in quibus dignoscendis occupabantur, in ordinem distribuere, cum hae varietates ex tot rebus fortuitis et non constantibus pendeant; et eodem modo, ni fallor, in nosologia methodica se res habet.

Cum dico morborum varietates a nosologo negligendas esse, eas tamen nullius esse momenti minime volo; nam bene novi medicum ab iis saepe gubernandum esse, et itaque ejus attentione eas esse haud indignas. Hic notandum est, aliud nosologi, aliud esse medici officium: Illius est, morbos internoscere tantum; hujus, iis quoque mederi. Nonnulli vero forsan rogabunt, quid tunc valet nosologia, si morborum species

so-

ſolummodo dignoſcere docet, dum alius cujuſvis ſpeciei varietatis curatio ad omnes ejuſdem ſpeciei varietates nequaquam accommodatur? Sed, etiamſi verum ſit, eandem ad amuſſim curationem ſingulis cujuſlibet ſpeciei varietatibus non ſemper aptari, quodam tamen gradu aptatur; verbi gratia, variolae varietates ſunt, medicis bene notae, quae variam aliquatenus, ſed plerumque eandem exigunt curationem; ita aer potuſque frigidus, alvi purgatio, &c. pariter cuivis varietati proſunt. Alia autem, pro febris comitantis typo, largam venaeſectionem, victuſque rationem quam maxime antiphlogiſticam exigere poteſt; dum, in alia varietate, vinum corticemque Peruvianum libere ingurgitare oportet. Pari ratione, quod ad ſpecierum diſtinctionem attinet, etſi cuilibet varietati unum plurave ſymptomata ſunt propria, quaedam tamen habet omnis varietas toti ſpeciei communia, quibus dignoſci poteſt. Sic quoque in variola, etiamſi una varietas hujus ſpeciei, perperam enim genus vocatur, puſtulis paucis, iiſque diſcretis, una cum omni alio ſymptomate fauſto, ſtipatur, dum in alia varietate plurimae adſunt puſtulae coeuntes, cum multis aliis infauſtis ſymptomatibus; tamen, in utraque, cauſa remota eſt contagio ſpecifica ejuſdem naturae: 'Tertio die incipit, et quinto finitur eruptio papularum phlegmonodearum,

dearum, quae, ſpatio octo dierum, in ſuppurationem, et in cruſtas demum abeunt *," &c. Eodem modo, in herbarum ſcientia, licet cuilibet varietati quaedam ſit nota qua ab omnibus ejuſdem ſpeciei varietatibus diſcrepat, tamen eidem quoddam aliud eſt ſignum toti ſpeciei commune, quo dignoſci et ordinari poteſt.

Etſi vero noſologia methodica ejuſque fautores a nonnullis medicis parvi pendantur; tamen notandum eſt, eorum conſilium nonnullis viris inclytis, Baglivio, Sydenhamo, Gortero, Boerhaavio, Gaubio, aliiſque, multum arridere.

' Et ſane, ait Baglivi, inter praecipua artis no-
' ſtrae deſiderata illud merito reponimus, ut ſin-
' guli quique morbi in tot ſpecies ſubdiſtinguan-
' tur, quot ſunt morbi primarii a quibus foven-
' tur, aut cauſae vehementes conſtanteſque a qui-
' bus producuntur; et ſingularum ſpecierum pro-
' ponantur ſigna characteriſtica, eadem potiſſi-
' mum ratione qua id factum videmus a botani-
' cis †," &c.

B Syden-

* Cullen. Synop. G. 26.

† Baglivi prax. med. lib. 2. cap. 9.

Sydenhamus, in praefatione sua, his utitur verbis: 'Quod autem spectat ad historiam morborum, primo expedit, ut morbi omnes ad definitas ac certas species revocentur, eadem prorsus diligentia ac ακριβεια qua id factum videtur a botanicis in suis phytologiis.'

'Magna equidem affulgit spes, ait De Gorter, observando naturae cursum, et redigendo operationes in ordinem, tandem praxin ad illam certitudinem perventuram, qua hodie gloriatur botanica. Botanici plantas digesserunt in genera et classes, quas itidem in species: Hoc non minori in medicinae praxi fieri posse certitudine reor; suasit mihi similitudinis id in utrisque ratio, et in quibusdam experientia *.'

Boerhaavius de hac re hoc modo loquitur: 'Institutum egregium de ordinandis in classes morbis laudo; opus quippe, ut laboriosum, ita et utile,' &c.

Denique illustris Gaubius, de ordinandis morborum differentiis disserens, monstrat, 'Non esse, cur desperent medici, fore aliquando ut ingens morborum humanorum numerus, exemplo ab 'historiae

* Dissert. inaug.

‘ hiſtoriae naturalis ſcriptoribus petito, in ordi-
‘ nem ſyſtematicum redigatur, qui, ab omni hy-
‘ potheſi ſectarumque commentis liber, ſola nix-
‘ us fideli obſervatione, claſſes, genera, ſpecies ex-
‘ hibeat, ſuis ſingula characteriſmis certis, mani-
‘ feſtis, plenis interſtincta. Specimina jam nunc a
‘ recentioribus edita potius in ſpem erigere ten-
‘ taminibus multiplicatis haud defuturos ſucceſſus,
‘ remque tanti momenti, ac bonis ideo omnibus
‘ exoptatiſſimam, ſic tandem feliciter perfectum
‘ iri, ut non in nominibus duntaxat morborum
‘ inveniendis ſeſe utilem praeſtet, ſed praecipue
‘ facilem ad eruendas curationes viam expediat.’

In hac diſſertatione mihi in animo eſt, I. Noſologiam definire; quod haud inutile eſſe videtur, cum vox ſit nondum medicis familiaris, et, ex ejus etymologia, omnem cujuſvis generis de morbis ſermonem comprehendere putari poſſit. II. Noſologiae hiſtoriam dare. III. Leges quaſdam ad noſologiam attinentes recenſere. IV. Methodum qua noſologia colenda ſit indigitare. V. Denique, utilitatem, immo ejus neceſſitatem, monſtrare conabor.

DEFI-

DEFINITIO.

Per nosologiam methodicam intelligenda est morborum in classes, ordines, genera, et species, more botanicorum, distributio, ex symptomatum similitudine et differentia, nulla ratione eorum causae proximae vel medelae habita.

Licet hic classes, ordines, et genera memoraverim, tamen, cum morborum specierum numerus nequaquam tantus sit, quin eorum characteres memoria retineri possint, si hi satis accurati sint, classium et ordinum constitutio minoris erit momenti; nihilominus, si ita constitui possunt, ut omnes subdivisiones teneant, utilissima erunt, cum specierum investigationem multo magis facilem reddant; et, etiamsi non ad amussim constituta sint, ea tamen constituere semper conari debemus, cum omnis de iis quaestio ad pathologiam aliquo modo attineat.

HISTO-

HISTORIA.

Qui primus morbos ſecundum methodum ordinare ſuſcepit, Felix Platerus erat, archiater et in academia Baſilienſi medicinae profeſſor. Hic auctor praxin medicam in quinque libris edidit, ubi ſatis evidenter morborum de quibus tractat diſtributionem ex ſymptomatis tentaſſe videtur, uti liquebit ex ſequenti ejus methodi narratione. Imprimis, omnes morbos in tres claſſes dividit; *functionum laeſiones*, *dolores*, *vitia*. Functionum laeſiones, ſecundum eum, ſunt vel ſenſuum vel motuum laeſiones. Senſuum laeſiones et internorum et externorum affectus continent. Priores, ut ille putat, conſtant vel ex defectu, vel ex ſenſus depravatione, quas *mentis imbecillitatem*, *alienationem*, &c. nominat. Sub ſingulis his capitibus varia morborum genera, ad ea attinentia, memorat; et uniuſcujuſque, ex ſymptomatis ei propriis, definitionem dat. Eodem modo ſenſuum externorum morbos, in eos qui ex deficiente, ac in eos qui ex depravato ſenſu oriuntur, dividit; et, ſub titulo laeſionis ſingulorum ſenſuum externorum, ſpecies ad eos attinentes enumerat; dein quamque ex ſymptomatis, ut antea, definit. Primae claſſis pars ſecun-

fecunda *motuum laefiones* complectitur, quae in motus voluntarios et involuntarios ulterius dividitur. Plateri claffis fecunda *dolores* nominatur, et non modo morbos *ex dolore* aliorum auctorum, cum *phlegmafiis* Cel. Culleni, fecundum corporis partem quam afficiunt ordinatos, fed etiam omnes morbos febriles, continet. Poftrema ejus claffis *vitia* appellatur, et aliorum nofologorum *vitia*, *deformitates*, et *cachexias*, cum morbis localibus Culleni, continet. In *corporis et excretorum vitia* dividitur; quorum priora funt *deformitates*, vel a corporis ftatu faniffimo aberrationes, fub titulo *deformationis*, *difcolorationis*, *extuberantiae*, *defoedationis*, et *confumptionis*. Excretorum *vitia*, aliorum nofologorum *apocenofes*, *fluxus*, *morbos evacuatorios*, et *ectopias*, amplectuntur.

Ex hoc Plateri morborum ordinationis confpectu, fatis mihi liquet, eam effe tentamen nofologicum, et, cum primum effet, minime contemnendum. Nihilominus, per centennium ufque, nemo nofologiam amplius colere conatus eft; non enim ante trigefimum primum hujus faeculi annum Sauvagefius celeberrimus, fub titulo *Nouvelles claffes des maladies*, primas lineas edebat nofologiae methodicae, quam diu poft, anno

no 1763, multum auctam in medium protulit; opus quod, etiamsi in multis deficiens, auctoris nomen in omne aevum non transmittere non potest. Cum hoc opus plerisque medicis nunc bene notum sit, ullam auctoris methodi rationem reddere non necessarium mihi videtur; et spero neminem exspectare me censoris officium mihi assumpturum esse, cum scientiae temporisque defectus, et hujusmodi dissertationis limites angustiores, hoc prohibeant. Posthac tamen, prout res poscit, ejus evidentiores defectus ostendam; et interim tantum notabo, etsi auctor omnia ad morborum species pertinentia cum summa diligentia collegerit, tamen adeo perturbatum reliquisse, ut magis adversariorum, quae postea digerere statuerat, quam nosologiae methodicae in ordinem redactae, speciem prae se ferat. Hoc nullibi manifestius patet, quam cum morbos idiopathicos cum symptomaticis commiscet, et de eodem morbo, diverso nomine, in variis sui operis partibus, differit; qua ratione inutiliter morborum specierum numerum multum auxit.

Eodem anno 1763, quo nosologia methodica Sauvagesii amplificata vulgata est, Linnaeus, scientiae naturalis cultor indefessus, sua *generra*

ra morborum edebat; in quibus Sauvagesium evidenter imitatus est, sed non superavit. Cum vero hic liber quoque, cum synopsi Culleniana denuo impressus, in omnium manibus sit, ut dicam quomodo a Sauvagesio discrepat, haud est opus. Dum postea leges in systemate nosologico conficiendo observandas referam, majores ejus hallucinationes notandi mihi erit occasio.

Postero anno, *definitiones generum morborum*, in dissertatione inaugurali, sub praesidio Clar. Vogelii, Gottingae edebantur; de quibus idem ac de Linnaei *generibus morborum* dici potest.

Haec sunt omnia opera nosologica quae edita fuerant, cum Cullenus illustris, anno 1769, medicinae usum in alma hac academia docturus, nosologiae methodicae studii utilitate, immo necessitate, excitatus, et haud inscius quam impares essent fontes unde solum quid de hac re discendum erat, cum illo ardore ad medicinae studium promovendum sibi proprio, et propter quem tanto in honore est, quod ab aliis in hoc argumento factum fuerat augmentare susceperit. Quis futurus esset hujus incepti eventus, varia opera nosologica sibi invicem comparando, facile cerni potest; quae comparatio hic loci apte institueretur; et, idonee tracta-

tractata, multas de singulorum promeritis animadversiones in medium proferendo, utilissima procul dubio foret; sed hoc, ratione qua vellemus, et qua digna res esse videatur, perficere, ut temere aggrederemur, nimis difficile esset; et fines hujusmodi dissertationi necessario constitutos multum transiret. In sequenti vero capite, Culleni, aeque ac aliorum nosologorum, contra leges in systemate nosologico condendo observandas, delicta notare decrevimus.

Nullum aliud opus nosologicum nunc memorandum manet, praeter illud Celeb. M'Bride, medicis antea satis cogniti. Hoc opus, cui titulus est, *A methodical introduction to the theory and practice of physic*, biennio abhinc vulgatum est. Quod ad ejus partem nosologicam, satis est notare, auctorem omnes morbos, quibus patet corpus humanum, in eos divisisse qui corpus totum, ejus partem tantum, unum potius quam alterum sexum, et qui infantes corripiunt. Hae classes in ordines, hi in genera, generaque in species, ut apud alios, dividuntur.

L E G E S.

In nosologiae methodicae systemate condendo, leges quibus accurate mos gerendus est sunt sequentes.

1. Ut notae, quae morbi definitionem faciunt, ex symptomatis evidentibus constarent, morbi causae nulla ratione habita.

Hujus legis necessitas, primo intuitu, patet. Ars medica nondum adeo absoluta est, ut satis certo, quaenam sit cujusvis fere morbi causa proxima, dicere possimus; saltem, nos omnis morbi causam proximam scire, nemo certe asseret: Hoc autem necessarium foret, ut systema morborum ordinatum condere possemus, in quo definitiones ex notis a causa ortis constarent; sed, etiamsi singulorum morborum causa proxima nobis esset bene nota, tamen, cum non nisi ex symptomatis eam adesse sciamus, et cum haec symptomata, aeque ac causa ipsa, stabilia et sibi constantia sint, ex symptomatis characteres depromere necessarium foret. Nos adhuc de causa plerumque morborum minime certiores fieri, ex diversis medicorum de hac re sententiis liquido patet.

tet. Per hanc enim intelligo, iſtam in ſani corporis conditione mutationem, quae variis phaenomenis morboſis, ſymptomatis dictis, originem praebet. Nihil itaque inutilius eſt, aut magis fallit, quam iſta inter ſcriptores medicos, et etiam noſologos quoſdam, conſuetudo, ex auctoris idea de eorum cauſa, morbos definiendi. Nullus quem novi ſcriptor practicus tam ſaepe et conſulto quam Junckerus, in ſuo *medicinae conſpectu*, in hanc vituperationem incidit. Semper cum morbi tractandi definitione incipit, et haec definitio ex morbi cauſa poſita nunquam non pendet; ex decem vero, ne una quidem non falſa, et in totum inutilis eſt.

Sauvageſius, in ſuis prolegomenis, octo vel decem pleuritidis definitiones enumerat, quarum ſingulae ex cauſa proxima confectae ſunt; ideo nullae duae inter ſe conſentiunt, et ne una earum quidem nunc admitteretur. Mirum eſt, Sauvageſium ipſum, cum hunc errorem in aliis oſtenderat, et rite damnaverat, plus quam ſemel eodem modo delinquere; ita primae ſuae claſſis ordinem tertium, *tumores humorales*, quartum, *tumores a ſolidis audauctis*, definit; quae diſtinctio, cum ex quadam hypotheſi ſeu conjectura pendeat, non accipienda eſt. Ejuſdem claſſis ordinis quinti definitioni,

ni, *protuberantiae factae a fluidis intra membranas, &c.* idem objici poteſt, cum ſaepe dicere non poſſimus, an tumor ex fluidis effuſis vel ſolidis adauctis ortum ducat.

Sauvageſius, phlegmaſias internas in duos ordines, ex quadam in eorum ſede diverſitate poſita, dividendo, in eundem errorem incidit; alterum enim quaſi membranarum, alterum quaſi partium parenchymatoſarum, phlegmaſias complectentem, definit; ſed, cum ex cadaverum ſectione haec differentia non pateat, huic diſtinctioni fides nunquam habenda eſt; et character noſologicus, cum haud evidens ſit, nequaquam idoneus eſt. Alius hujuſmodi error in Sauvageſii hydatidis definitione videri licet; hanc enim, ut ille putat, vaſorum lymphaticorum dilatatio creat.

Nec minus Linnaeus quam Sauvageſius hanc legem violare videtur. *Scirrhus*, ſecundum eum, *glandula indurata* eſt, et *Struma*, *glandula infarcta*. Haec autem diſtinctio minime patet: Struma enim ſaepe *glandula indurata* eſt, et ſcirrhus ſaepe *glandula infarcta*. Anchyloſeos ſua definitio adhuc magis eſt miranda, et minime intelligenda mihi videtur. Ex his verbis conſtat; *tumor genicu-*

nicu-

niculorum ligamenti capſulaeque tenſione expreſſa ſynovia. Praeterquam enim quod character noſologicus haud idoneus ſit, theoriam ejus nemo accipiet. Sed nullibi hunc noſologum tam parum intelligendum reddidit ſua theoria, quam in *agrypniae* definitione, quae, ſecundum eum, ex *ſenſorii rigiditate ſpaſtica conſtat.* Hoc nullo commentario eget. In morborum quoque praecipue dolorem afferentium definitionibus, ex interna eorum ſede characteres depromuntur; et arthritidis et rheumatiſmi ſymptomatum enarrationi cauſam addit; illi, nempe, *ſynovia corrupta*; huic, *tunica celluloſa infecta.*

Loca ubi Cullenus, aeque ac caeteri noſologi, hanc legem neglexerit, haud notare iniquum foret. Omnium ejus generum definitiones, quantum video, ex ſymptomatis evidentibus conſtant; ſed, cum uniuſcujuſque ordinis character ſingulis ejus generibus accommodari debeat, ſi Diabetis, Pyroſis, Colicae, et Diarrhoeae definitionibus ordinis *ſpaſmi* dicti notas addamus, aeque ac caeteri noſologi vituperandus eſſe videtur. Nullus enim ſpaſmus evidens hos morbos comitatur; et, ſi ullus ſit internus, multum dubitandum eſt.

Idem

Idem Dyſpepſiae, Hypochondriaſis, et Chloroſis, ejuſdem auctoris definitionibus objici poteſt.

Cum in noſologia methodica, non modo cauſa proxima, ſed etiam cauſae morborum remotae negligendae ſint, haud ſine culpa has in ſuas arthritidis et rheumatiſmi definitiones introduxiſſe videtur Cullenus. Hoc ſibi jure objici haud ignarus, eos, ſine hoc auxilio, quandoque certo diſtingui non poſſe affirmando, ſe vindicare conatur. Si revera ita ſe res habeat, eos, noſologice ſaltem, morbum eundem habendos eſſe contenderem: Alias vero quas dedit eorum characteris partes ad eos ſemper diſtinguendos ſatis eſſe; ideoque characteres, *ab externa et evidenti cauſa* in rheumatiſmo, et *ſine cauſa externa evidenti* in arthritide, ſupervacaneos eſſe mihi videtur.

Altera lex eſt, ut notae noſologicae evidentes et intellectu faciles eſſent, et, ſi fieri poſſit, ex verbis conſtarent quorum ſenſus evidens eſt.

Hanc autem noſologi neglexerunt, praecipue Linnaeus et Vogel. Ex hujus definitione, verbi gratia, *pruritus* eſt *dolorifica voluptas*. Nunc, etſi in hoc loco ejus ſententia intelligi poſſit, tamen minime idonea morbi nota eſt. Praeterea non verum eſt: Licet enim doloris et voluptatis ſenſus, cito ſe invicem

cem excipientes, eodem tempore adeſſe videantur; tamen non dubitandum eſt quin ſejuncti ſint. Specimen notabile hujus in verbis perſpicuitatis defectus, in Linnaei *miliariae* definitione, videre poteſt; ubi, quid ſibi velit per *papulas immerſas*, intellectu facile non eſt; nec eſt obvia ſententia *ſudor punctorius* quae ibidem occurrit. Ita quoque, in *laſſitudinis* definitione, *debilitas ponderoſa* nobis obvenit. In hyſteria, quod vulgo *clavis hyſtericus* vocatur, ille *verticis preſſionem* nominat. Una ex *pandiculationis* notis eſt *inſpiratio preſſoria*; et, inter *ſcorbuti* notas, eſt *opacitas faciei*; quarum omnium ſenſus nequaquam evidens eſt.

Tertia noſologiae lex eſt, Ut definitiones neque ex pluribus nec paucioribus quam prorſus neceſſariae ſunt notis conſtarent, et ut hae notae in omni morbi ſtadio ſemper adeſſent. Si plures quam ſatis ſint notae, per quod volo, ſi, notis cuidam morbo propriis et neceſſariis, quaſdam fortuitas et adventitias tantum addamus, medicus inter has et illas dignoſcere non poteſt; vel, ſi putet eas omnes eſſe neceſſarias, in errorem duceretur.

In hunc errorem noſologi ſaepe illapſi ſunt; cujus exemplum eſt inſigne in Vogelii *Peſtis* definitione,

ſinitione, quae ex his notis conſtat: ‘ Febris pan-
‘ demia, contagioſa, acutiſſima, in qua bubones,
‘ aut certi carbunculi, aut veſiculae oriuntur,
‘ cum λειπυρια, ingenti ſiti, ſpiritu, ſudore, et de-
‘ jectionibus foetidis, delirio, nauſea, vomitu, pul-
‘ ſuque parvo ac obſcuro.’ Hic bubones et carbunculi tantum ſymptomata ſunt characteriſtica; omnia caetera vel fortuita, vel peſti cum multis aliis febribus communia ſunt. Sed multo saepius noſologi notas juſto pauciores fecerunt, ut Sauvageſius in *variolae* definitione; ‘ Eruptio
‘ puſtularum phlegmonodearum in ſuppurationem
‘ tendentium;” quae aeque ſcabiei accommodatur. Aliud exemplum praebet Linnaeus, in arthritidis et rheumatiſmi charactere; quorum illam, ‘ geniculorum dolorem periodicum;’ hanc ‘ muſ-
‘ culorum dolorem ad motum,’ definit; quae notae ad hos morbos dignoſcendos minime ſufficiunt.

Poſteriorem hujus legis partem, omnes, praeter Cullenum, noſologi, varias febris ſpecies ex earum duratione definiendo, multum violarunt; nam non, niſi poſt aegri mortem vel medelam, ejus morbum dignoſcere poſſe, minime certe medentis intereſt. Ob eandem cauſam, voces, *acuta*, *chronica*,

nica, *lenta*, taliaque, notae ſunt minime idoneae ; ideoque Linnaeus haud parum culpandus eſt propter definitiones generum primi ordinis claſſis *mentalis*, quae omnia verbis *acuta*, *chronica*, vel *periodica*, dignoſcuntur. Licet vero haec ſit bona lex generalis, et itaque, ubicunque fieri poteſt, jure obſervanda ; tamen eam ſine exceptione non eſſe, haud negandum eſt : Exempli gratia, in intermittentibus, vel febribus in genere, hoc quod dixit Galenus non obſtante, per primae acceſſionis frigus, cujuſmodi febris ſit futura, ne prudentiſſimus quidem medicus pro certo dicere poteſt. Similiter, in exanthematis, ut in febre quae variolae eruptionem praecedit, niſi morbus ſit epidemicus, quis eventum praenuntiare audebit ? In hac conditione, notis, ex ſymptomatum ſerie, aeque ac concurſu, uti licebit.

Alia lex noſologica eſt, ut claſſium notae omnibus ordinibus, generibus, et ſpeciebus quas complectitur, ut ordinum notae omnibus generibus et ſpeciebus quas includunt, et ut cujuſvis generis notae ſingulis ejus ſpeciebus, accommodentur.

Haec lex, ſi obſervetur, ordinis charactere, duo genera aliquando dignoſcere poterimus. Sine

hoc auxilio, duos diverſos morbos in Synopſi Culleniana internoſcere difficillimum eſſet: Enteritidem et Colicam volo, quorum definitio fere eadem eſt. Sed, ſi illi Pyrexiarum et Phlegmaſiarum, huic Neuroſium et Spaſmorum, notas addamus, eorum diſcrimen liquido patebit.

Cum haec lex univerſalis eſſe debeat, liceat mihi exempla notare ubi Cullenus eam neglexiſſe videatur: Verbi gratia, Pyrexiarum character ad omnes febres non applicatur; nam, in quibuſdam Typhi varietatibus, minime frequens eſt pulſus, ſed potius tardus. Nec etiam omnibus Phlegmaſiis accommodatur; in quarum nonnullis, ut Phlegmone et Ophthalmia, pulſus saepe naturalis eſt.. Et, in Enteritidi, ſi Millar expertiſſimo credendum ſit, pulſus ſolito tardior pathognomonicum eſt ſymptoma. Pyrexia etiam ſaepe abeſt, vel obſcura admodum eſt, in Haemorrhagiis, ut Epiſtaxi; et in Profluviis, ut Catarrho. Neque *febrium* notae ad omnes febris ſpecies accommodantur; nam, in quibuſdam febribus inflammatoriis, vel omnino abſunt, vel valde obſcura ſunt debilitatis indicia. *Phlegmaſiarum* quoque character ad omnes ſpecies non aptatur; nam, in Ophthalmia, ſaepe nullus adeſt

est dolor, neque semper sanguis missus crusta inflammatoria cooperitur. Hepatitis saepe usque ad suppurationem progreditur, absque dolore topico. Nec semper ad omnia genera aptatur *exanthematum* character in Synopsi Culleniana: Nam, in Erysipelate, saepe febris post eruptionem tantum corripit aegrum; immo idem aliquando contingit in morbis exanthematicis magis regularibus, qualis est Variola. Neque ordinum notae tantum eorum speciebus non accommodantur, sed etiam nonnullorum morborum, qui secundum Cullenum iidem sunt, notae variantur; verbi gratia, Leucorrhoea ut Menorrhagiae synonima notatur, nec tamen ulla est in illa sanguinis profusio. Quod ad *profluvia* spectat, muci excretio non semper adaugetur in *catarrho*, ut in illius charactere videre est. Idem fortasse de aliis classibus, ordinibus, et idem de generibus, dici potest; sed haec satis sunt ut ostendatur, Culleni characteres non semper idoneos esse. In omnibus igitur hujusmodi exemplis, ubi aequum et necesse est ut adhibeatur nota, quae, licet raro, aliquando tamen, abesse potest, ut mihi videtur, *plerumque* adjicere nos oportet, ne medicus junior cunctetur cum offendit morbum quibusdam notis nosologicis haud stipatum. In *ictero*, verbi gratia, fere semper foeces

ces albidae ſunt; ideoque haec eſt opportuna hujus morbi nota. Sed, cum interdum alvi foecum color naturalis ſit, quidam, hoc neſciens, talem offendens morbum, quantumvis aegro quaevis alia eſſet nota morbo propria, ſi noſologis integre confidat, de morbi indole haeſitaret; vel ſi, non obſtante hujus ſymptomatis abſentia, *icterum* eſſe crederet, accurationis defectus noſologum jure accuſaret, ex eo quod ſymptoma, quandoque abſens, quaſi ſemper praeſens notet.

Poſtrema lex noſologica eſt, ut omnis morbus, qui ab aliis dignoſci poteſt, in ſyſtemate noſologico locum habeat.

Hiſtoriae naturalis cultoribus objectum eſt, eos erraviſſe, omnes res naturales cognoſcere ſtudendo, cum earum pleraeque omnino adhuc inutiles ſint. Haud autem difficile eſſet oſtendere, hoc etiam hiſtoriae naturalis ſcriptoribus injuria objici. Minime ergo, ut mihi videtur, noſologis objici poteſt; nam nemo certe dicet, quemvis morbum, cui obnoxium eſt corpus humanum, neſcire parum medici intereſſe. Hanc legem non obſervando, in multis locis ſuam Synopſin imperfectam reliquit Cullenus; quod ipſe fatetur, ac contendit, nullum ſyſtema noſologicum abſolutum

eſſe

esse posse. Sed quidni? Cur omnes morbi in systemate locum non inveniunt? Morbidos e vermibus oriundos affectus quotidie videmus; ubinam eos in systemate reperiemus? Sed forsan, inquies, propriam illis affigere notam difficile est: Esto; sed an, ob hanc causam, negligendi sunt? Quid de medicinae studio fiet, si singulos morbos, quos distinguere facile non est, a systemate nosologico excluserimus? Porro, haec difficultas potius ex observationum defectu quam aliunde oritur; cum enim vermes semper una eademque sint causa, eundem semper edent effectum, gradu tantum, ex habitus aliorumque varietate varium. Cum sic se res habeat, si symptomata quae eos comitantur accurate notaremus, nos ea quae morbi pathognomonica sunt cito inveniremus; indeque ejus in systemate locum statueremus. Cephalalgia alius est morbus quem in Synopsi Culleniana reperire non est. Hanc saepe symptomaticam esse fateor; sed nonnunquam idiopathica est: Et, quantumvis parum illius causam dignoscere nos penes sit, cur a systemate excluderetur? Non satis est dicere, medicos raro, in talibus affectibus, in auxilium advocari; nam aliquando advocantur; et eos ignorare opprobrium est.

Nol-

Nollem aliquem hinc putare me vindicare velle alios nosologos, qui unamquamque a statu corporis sanissimo levissimam aberrationem pro morbo habent; ut Vogelium albam in ungue maculam, barbam raram, rugas in senis facie, &c. quasi morbi genera designantem. Pari ratione Linnaeus partis insolatae colorem fuscum, et, quod adhuc magis mirum est, et Linnaeus et Sauvagesius mulierum graviditatem, morbos vocant: Hic sine ulla limitatione; ille quidem tunc tantum *graviditatem* morbum esse dicit, cum ventris a foetu intumescentia *nimia* est. Sed haec intumescentia nunquam forsan nimia est; et, etiamsi varia variis foeminis sit, omnes tamen integerrima sanitate gaudere possent. Hoc modo inconsulte, in suis systematis, a sanissimo vel potius formosissimo corporis statu, quamvis aberrationem complectendo, nosologi morborum numerum ad infinitum auxerunt. Sed alius eorum error haud parum ad eundem effectum edendum contulit; hic est, symptomata ubique quasi tot morbos diversos recensendi consuetudo. Ita *pandiculatio*, *rigor*, *sternutatio*, *oscedo*, *anxietas*, *lassitudo*, *stupor*, multaque alia, ab iis, morborum genera diversa fiunt, dum neque genera nec species esse videntur, sed semper forsan symptomata tantum sunt.

ſunt. Mirum eſt, in uno exemplo ubi Linnaeus in hunc errorem incidit, in ipſo charactere errorem notari: Ita delirium definit, ‘ inſania ſymptomatica;’ ſed, ſi ſymptomaticum tantum ſit, cur genus ſit?

Alia ratio qua morborum numerus a noſologis multum augetur, eſt hujus apud logicos axiomatis neglectus, ‘ Magis aut minus non variat ſpeciem.’ Varios ejuſdem morbi gradus, diverſos eſſe morbos, crediderunt; ita *apoplexia*, *cataphora*, *carus*, *coma*, quae ejuſdem morbi varii tantum gradus ſunt, in omnibus, praeter Cullenianum, ſyſtematis, tanquam diverſa genera notantur.

Ad methodum, qua noſologia methodica ſit colenda, nunc perventum eſt.

Primo, diligenter curandum eſt, ut characteres quicunque ex accurata obſervatione et diſcriminatione eorum ſymptomatum, quibus morbi ſemper ſtipantur, et quae itaque characteriſtica haberi poſſunt, conſtituantur. Nam etſi, in cujuſvis morbi hiſtoria tradenda, ea accidentalia quae ejus faciem aliquando mutant notare fas ſit; haec tamen

in

in nosologia, ab phaenomenis iis proprioribus, quae nunquam eum non comitantur, sedulo distinguere oportet. Ex medicorum attentionis in hac re defectu oriri videtur, tam paucas morborum historias, in eorum speciebus dignoscendis, nobis ullum praebere auxilium. Hoc valde incertos reddit medicinae studiosos et medicos juniores, qui, experientia destituti, qua ducerentur, in symptomatis propriis et necessariis ab iis quae fortuita tantum et adventitia sunt dignoscendis; non potest quin confundantur, numero et varietate quam offendunt, in cujusvis fere morbi historia, a diversis scriptoribus tradita. Licebit iis putare omnia esse necessaria; et cum verisimile sit eos omnia, in eodem casu, nunquam offensuros, facile errare possunt; saltem de morbi nomine et natura incerti manebunt.

Aliud, quod, in nosologia colenda, notari meretur, est, ut sedulo conaremur de morborum speciebus certiores fieri, antequam eas in classes, ordines, et genera, ordinare susceperimus. Species enim solae naturales sunt; omnis earum combinatio necessario plus minus artificialis est: Nonnulli itaque ex nosologis valde perverse egisse videntur, qui prius classes et ordines formarunt, quam species

cies callerent; qua ratione inconfulto morbos in totum diverfos conjunxerunt, ob nullam aliam caufam, quam quia in una re concordant; aliofque, inter quos fumma extat affinitas, disjunxerunt: Ita *fyphilis* a Linnaeo inter morbos febriles collocatur, tantum quod contagiofa fit; et ex Phlegmafiis Arthritidem et Rheumatifmum amovit, ut eos inter morbos ex dolore topico, fine febre, poneret. Hic nofologorum error eorum animadverfionem haud effugit qui nofologiae ftudium improbare volunt; et procul dubio jure objicitur, non nofologiae, fed nofologis, qui in eum, fine ulla neceffitate, inciderunt.

Quid multis? Hic folus effe videtur modus quo noftros ad nofologiam methodicam colendam conatus ex fententia ceffuros fperare licet.

Imprimis feorfim et perattente fingulas morborum fpecies perpendamus, et diligenter ea notemus phaenomena, quae, cum morbum quibus funt propria nunquam non comitentur, neceffaria et infeparabilia, ideoque characteriftica, haberi poffunt. Hoc peracto, dein invenire conemur, fi aliquot harum fpecierum in multis inter fe confentiant, et ab omnibus aliis aliquo modo difcre-

pent. Si ſic ſe res habeat, eas conjungamus, et, ex iis, quod *genus* vocatur conſtituamus.

Similiter cum reliquis ſpeciebus procedendum eſt, donec omnes, ex earum ſimilitudine et differentia, in quaedam genera partiti ſumus. Hoc primo diviſionis gradu finito, eodem modo quaerendum eſt, ſi nonnullae res quibuſdam generibus communes inveniri poſſint, quibus ab omnibus caeteris accurate dignoſcantur. Notarum talium auxilio, facile fieri poteſt diviſio proxima, ſeu quod, in rerum diſtributione methodica, *ordo* dicitur.

Hoc modo omnibus generibus in quendam ordinum numerum redactis, ſolum reſtat ut ordines in *claſſes* partiamur; quod eodem modo fit quo priores conſtituuntur diviſiones, nempe, comparando et conjungendo eos ordines qui maximam inter ſe ſimilitudinem habent.

Hac ratione mihi videtur morborum claſſes, ordines, et genera, tam naturalia fore quam fieri poſſunt.

Solum

Solum aliud consilium quod de nosologiae methodicae cultu dare possum, hoc est, ut leges supra traditae, quantum fieri possit, observentur.

Nunc tantum superest, ut nosologiae methodicae studii utilitatem, immo necessitatem, monstrare conarer.

In hanc rem, post id quod supra dictum est, multam navare operam vix necessarium esse puto; cum, ni fallor, a quolibet, quid sit nosologia serio perpendente, propositio sine ulla dubitatione admittetur: Et revera, utut inaudita haec videatur assertio, aliis verbis, una voce, ab omnibus medicis, ex suae artis origine, admissa est. Nullus vir prudens nunc ullam esse *panaceam* credit; necesse est igitur ut concedamus, remediorum administrationis scientiam accuratissimam valde inutilem esse, nisi, eodem tempore, morbos quibus aptantur certo dignoscere possumus. Ubi hoc fieri nequit, ars medica sine ullo consilio exercetur; et hoc praesertim inter circumforaneum et medicum doctum interest. Hoc quoque medicos, in omni aevo, morborum historiarum tam avidos reddidit, quasi his solis id magnum desideratum, symptomatum, ut audiunt, pathognomonico-

rum

rum notitiam, adipiſci poſſunt; ſed nunquam in ſingulis morbis unum invenient phaenomenon quo ſemper ab invicem evidenter dignoſci queunt; hoc, niſi ſymptomatum ſyndrome, ad noſologiam methodicam applicata, fieri nequit; cujus utilitas hoc modo illuſtrari poteſt.

Ponamus, morborum ſpecies cognitas ducentas eſſe; has, ſecundum leges noſologicas, in quatuor claſſes partitas eſſe, quarum ſingulae ex quinquaginta ſpeciebus conſtant; ſingulas claſſes in quinque ordines ulterius dividi, quorum quiſque decem ſpecies continet, et unumquemque ordinem quinque genera complecti, quorum quodque duas ſpecies comprehendit.

Nunc ponamus, medicum in auxilium aegri advocari morbo occupati, quem nunquam antea viderat, et cujus rationem medendi neſcit. Quid illi in hoc ſtatu faciendum eſt? Sine ſyſtematis noſologici auxilio, vel nil omnino faciet, vel, ab incerta phaenomenôn comparatione, talia adhibebit remedia, qualia ad ſymptomata evidentiora et vehementiora amovenda aptiſſima videntur; vel, ſi velit ſcire medendi rationem quam aliorum eſſe reperit experientia idoneam, cum morbi nomen omni-

omnino nefcit, iftam differtationum et obfervationum medicarum farraginem, quacum medicina fcatet, pervolvere debet; et nihilominus fcopum forfan haud attigerit; vel aeger interim, propter auxilii defectum, mori poteft. Sed quantum hic labor, hoc opus, fyftematis nofologici opera, minuitur! Tali auxilio inftructo medico, in conditione fupra narrata, nil amplius quam aegri fymptomata attente notare faciendum eft. Tunc ad nofologiam recurrit, et haec fymptomata morborum claffium notis conferendo, cujus fit ftatim deprehendit; et, hoc facto, centum et quinquaginta morborum fpecierum contemplatione fe expedit. Sed, ad quem hujus claffis ordinem aegri morbus attinet, dein obfervando, ad decem fpecies fuam attentionem cohibet; denique, cujus generis fit dijudicando, morbum ad duas fpecies redigit; quae, fi graphice depictae fint, facile dignofci poterunt. Ita, per horae quinque momenta, fyftematis nofologici opera, quam, fine hoc auxilio, per quinque forfan menfes, cujufvis morbi nomen multo certius deprehendet. Hoc modo morbi nomine comperto, ad fcriptores medicos qui eum maxime ad amuffim depinxerunt, et medendi rationem optimam docuerunt, a nofologo refertur; et ita medicus qui hunc nunquam antea vidit

morbum,

morbum, cito de eo aeque certus fit ac illi qui in arte medica maxime verfati funt.

Vel morbum nunquam antea notatum, faltem nondum defcriptum, ideoque in nullo fyftemate nofologico inveniendum, nos occurrere ponamus; hoc fibi honorem tribuendi, et reipublicae optime faciendi, obfervatori occafionem reddit; nam, fi homo cordatus fit, imprimis, fymptomata morbo propria attente notando, ejus definitionem tradet; et ita locum ftatuet quem in fyftemate nofologico teneret; deinceps, ejus in variis ftadiis fymptomata recenfendo, morbum plenius depinget, et, fi periculis iteratis, ex aliorum morborum fimilitudinis ratione factis, eam feliciter deprehenderit, aptam medendi rationem docebit.

Si hoc femper facerent medici, nonne jure fperaremus, paucis annis, morborum diftinctionem eundem certitudinis gradum attacturam quem jam attigit herbarum diftinctio, ideoque medicinae ufum brevi quam maxime ftabilitum fore?

F I N I S.